

et meditando institutioni huiusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere poenitentes, ac sacra communione refecti, qua vice id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere poenitentes, ac sacra communione refecti, pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint semel in mense pro uniuscujusque commodo et arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christianifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantes horæ singulis diebus et per totum mensem orationi mentali dabant operam, et vere poenitentes et confessi, sanctissimum eucharistiæ sacramentum sumpserint; ac pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione et sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias apud Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam illidem per modum suffragii animabus Christianifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem, juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum, oporteat ut quisquis oraturus, ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum et clauso ostio oret cœlestem Patrem in abscondito: tamen cum ipse Dominus dixerit quod *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; et sanctus Joannes Chrysostomus prædicet esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem et charitatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores, se simul complexas, validiores in cœlum evehi; optimum esset, ubi commode fieri posset, ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus et singulis diocesis in more poneretur: nimirum, ut singulis diebus, dato certo campanarum signo, sive in ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim collocatis, convenire facile possit et nulla suboriat confusio et inordinatio; sive in propria domo patresfamilias, eo, aut alio opportuniore tempore ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent. Eapropter vos, venerabiles fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut omnibus et singulis ecclesiarum piorumque locorum, in civitatibus quidem cathedralis, aliarumque præcipuarum ecclesiarum; in oppidis vero, paro-

chialium ecclesiarum superioribus, ac rectoribus injungatis, ut, præmissis campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando, decernendoque omnes Christianifideles uniuscujusque curæ commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem, utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauros, quos de benignitate apostolica elargimur, explicare, et ad ipsos ea, quæ decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant et enitentur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant et curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apost. benedict. vobis, ven. fratres, peramanter impertimur.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 10 Decemb. MDCCCLVI, pontificatus nostri anno sexto.

« CAJETANUS AMATUS. »

\* Anno antecedenti super eodem argumento emanaverat hoc aliud decretum:

« Cum sacra congregationi indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ humillime expositum fuerit, tribus diebus, scilicet feria v in Cœna Domini, ac Parasceves et Sabbati sancti, quibus incruenta sanctissimi corporis et sanguinis D. N. Jesu Christi sacrificia ex ecclesiasticæ disciplinæ instituto offerri minime possunt, quoddam pium exercitium in Urbe et in aliquibus Italiæ locis introductum inveniri sub hac lege, ut quisque, spatio saltem unius horæ omnibus ac singulis præfatis diebus orationi mentali vel vocali, in suffragium animarum in purgatorii pœnis degentium vacare debeat, ut quo tempore ipsæ fidelium defunctorum animæ suffragiis ex missarum celebratione provenientibus destituuntur, alia, qua potest ratione, valeant adjuvari; eadem sacra congregatio, die 6 Aprilis 1745, re mature perpensa, ad laudabile huiusmodi institutum confovendum, omnibus et singulis utriusque sexus in Urbe ac in Italia Christianifidelibus, qui saltem corde contriti diebus in Cœna Domini, ac Parasceves et sabbati sancti orationi mentali, vel vocali in suffragium fidelium defunctorum unam saltem horam devote impenderint, indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum animabus fidelium defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum secretarium die 10 ejusdem mensis sanctissimo Domino

relatione, Sanctitas sua votum sacrae congregationis approbando benigne annuit.

« C, card. DE HIERONYMIS, præf.

« A. M. ERBA, protonotarius Apostolicus, sec. »

V. Append. t. IV, v. INDULGENTIA, n. 26.

Eandem indulgentiam confirmavit SS. D. Noster Papa Benedictus XIV, die 4 Mart. 1750 an. jubilæi. Vide verb. JUBILÆUM, art. 1, n. 47\*.

(35. Ut quisque sciat modum concludendi orationes, seu Collectas, tum in missa, tum in divino officio, quidam sacer poeta sequentibus versibus omnes, quotquot dari possunt, conclusiones univit, videlicet:

Per Dominum dicas, cum Patrem presbyter oras,  
Cum Christum memoras per eundem dicere debes,

#### ORATORIUM.

##### SUMMARIUM.

1. Oratorium, genericè captum, quid sit? — 2. Oratorium pro missis celebrandis aliud est publicum, et aliud est privatum. — 3. Oratorium publicum pro missis celebrandis quale sit, et debeat esse? — 4. Oratorium privatum pro missis celebrandis quale sit, et debeat esse? — 5. Affertur decretum Clementis XI de celebratione in oratoriis privatis. — 6. Affertur formula indulti pro oratorio privato. — 7. Affertur clausula, quæ solet poni pro infirmo, etiam nobili. — 8. Quadruplicis speciei solent oratoria privata concedi, et assignantur. — 9. Ad superiorem notitiam juvat expendere singulas clausulas supradictæ formulæ solitæ communiter dari in concessione oratorii privati. — 10. Expenditur prima clausula: *Qui, ut asseris de nobili genere, etc.*, quæ importat veram nobilitatem ab ascendentibus derivatam, et sufficit sola nobilitas patris. — 11. An sufficiat sola nobilitas matris. — 12. Expenditur secunda clausula: *In privato domus tuæ, etc.*, quæ non privat indultarium hoc privilegio, etiamsi mutet domicilium, et illud transferat etiam in aliam dioccesim. — 13. In tali casu debet approbari ab ordinario illius civitatis, seu diocesis ad quam oratorium transferatur. — 14. Et probabilis debet iterum approbari, etiamsi transferatur de una in aliam domum intra eandem civitatem, seu de uno loco ad alium intra eandem domum. — 15. In casu vero, quod verba illa: *solitæ habitationis in diocesi N. existentis, seu civitatis N. vel diocesis N.* posita sint in indulto restrictive, et taxative, transferens habitationem ab una ad aliam dioccesim, non trahit se cum privilegio oratorii privati. — 16. Privilegiatus potest probabiliter tam in civitate quam ruri, dum ibi commoratur, uti oratorio privato, ita tamen, ut interim non utatur eo, quod est in civitate. — 17. Tertia clausula: *Decenter muro exstructo et ornato*, denotat quod locus, in quo vult erigi oratorium, debet esse decens, muro clausus, saltem a tribus lateribus, ornatus, et instructus omnibus suppellectilibus necessariis ad sacrum faciendum, et ab omnibus domesticis usibus liber et segregatus. — 18. Unde supra cubiculum oratorii, seu supra capellam non debet retineri lectus ad dormiendum, aut alia res profana. — 19. Potest tamen privilegiatus, si nolit amplius uti privilegio, pro suo libito convertere oratorium in usus profanos. — 20. Si autem privilegiatus velit iterum tale oratorium profanatum remittere ad usum celebrandi sacrum, indiget nova approbatione ordinarii. — 21. Quarta clausula: *Per ordinarium loci prius visitando, etc.*, indicat non posse valide oratorium constitui, nisi præcedat visitatio, et approbatio ordinarii, ejusque licentia. — 22. Sufficit tamen, si semel visitetur, et approbe-

FERRAR. V.

Cum Christo loqueris, qui vobis dicere quæras,  
Qui tecum, si sit Collectæ finis in illo,  
Et si Spiritus almus, ejusdem dicere debes.

(36. \* Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis et se credunt contritos, quamvis non sint. Eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato, sed non ita, ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecantur, ea saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent. Sunt tandem, qui nec dolent de peccato, nec enitentur, ut e statu illo exeant; imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale, vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez, *Instit. eccles.*, 62, § 10\*.

tur, et licentia obtineatur ab ordinario loci, vel ejus vicario, seu delegato, aut vicario capitulari. — 23. Ordinarius adveniens oratorium præditum omnibus requisitis in indulto, tenetur approbationem, et licentiam concedere. — 24. Ex justa causa potest tamen eam non concedere, et concessam revocare, donec oratorium sit decenter instructum omnibus in indulto requisitis. — 25. Privata oratoria post primam visitationem non possunt amplius de jure visitari ab episcopo. — 26. Attamen episcopus per viam denuntiationis et inquisitionis potest accedere ad ipsa oratoria privata, ut videat quomodo se habeant, et an decenter retineantur et custodiantur. — 27. Episcopus non potest concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis. — 28. Imo episcopi neque possunt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur. — 29. Potest tamen episcopus concedere licentiam, erigendi oratorium in domo privata, et inibi per modum habitus semper celebrandi, dummodo tale oratorium habeat publicum ingressum, et egressum. — 30. Privilegium oratorii durat, durante vita illius, cui facta est concessio, eoque mortuo, finitur, nec transit ad hæredes. — 31. Mortuo Summo Pontifice, qui concessit, et ordinario, qui approbavit oratorium, non perit oratorii concessio. — 32. Imo indultum oratorii non perit, mortuo Pontifice concedente, etiamsi ante ipsius mortem nondum fuerit ab ordinario approbatum, et executioni demandatum. — 33. Quinta clausula: *Unam missam pro unoquoque die*, clare demonstrat non posse ibi celebrari, nisi unicam missam pro qualibet die. — 34. Unde tam celebrans, quam celebrare faciens in dicto oratorio alteram missam et plures, peccant mortaliter. — 35. Sexta clausula: *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, etc.*, aperte ostendit, quod in eadem domo nequeunt esse plura oratoria, et quod idem oratorium nequit suffragari quoad satisfaciendum præcepto audiendi missam pluribus dominis et familiis distinctis. — 36. Unde, si in eadem domo sint duo domini cum suis distinctis familiis, et uterque impetravit indultum oratorii, is qui posterius impetravit, non potest eo uti, durante indulto pro eadem domo prius impetrato. — 37. Cessante autem primo indulto, incipit valere secundum posterius impetratum pro eadem domo. — 38. Si autem plures familiæ habitent in domo divisa in plures distinctas partes, potest pro qualibet habere locum privilegium oratorii privati. — 39. Item si domus pluribus solaris constet, et in ipsis constituentur diversæ habitationes, pro diversis familiis, erunt diversæ domus juxta diversitatem solariorum. — 40. Septima clausula: *Per quemcumque sacerdotem ab ordinario approbatum, etc.*, indicat sacerdotem ibi celebraturum

debere habere a suo respective superiore approbationem saltem generalem, et licentiam saltem tacitam, seu non prohibitionem ibi celebrandi. — 41. Unde si quis ex rationabili causa positive inhiberetur a suo respective superiore, graviter peccaret ibi celebrando. — 42. Non requiritur tamen pro ibi celebrando licentia parochi. — 43. Octava clausula: *sine iurium parochialium præiudicio*, denotat quod in his privatis oratoriis non potest exerceri ullum munus parochiale sine licentia ordinarii vel parochi. — 44. Hinc non possunt ibi exigi decimæ, primitiæ, seu oblationes, quæ de jure dantur parochi; nec potest ministrari sacramentum Eucharistiæ tempore paschali sine licentia parochi aut ordinarii; nec denuntiari matrimonia, aut hujusmodi. — 45. In his privatis oratoriis potest ministrari sacramentum poenitentiae et eucharistiæ, si id non sit per specialem aliquam constitutionem expresse prohibuitum. — 46. Imo plurimi doctores tenent posse regulares in oratoriis privatis Eucharistiæ extra festum Paschatis ministrare, etiam episcopis contradicentibus. — 47. Consultius tamen est id non facere, episcopis contradicentibus. — 48. Sacerdotes autem sæculares non possunt ibi ministrare, nisi de licentia saltem præsumpta, et tacita episcopi vel parochi. — 49. Nona clausula: *Exceptis diebus Paschatis, etc.*, excipit solemniora quædam festa hic assignata, in quibus non licet in oratoriis privatis missam celebrare. — 50. Hinc, si quis in diebus festis exceptis celebret, vel celebrari faciat in oratoriis privatis, graviter et dupliciter peccat. — 51. Decima clausula: *In tua et familie tue presentia, etc.*, designat personas, quæ in indulto comprehenduntur, et hic assignantur. — 52. Familiæ et famule non veniunt hic nomine familiæ. — 53. Unde sequendi non sunt doctores tenentes posse famulos, et famulas, sibi celebrari facere missam, eamque audire, et satisfacere præcepto in oratorio privato sine presentia personarum, quarum contemplatione concessum est Indultum. — 54. Possunt tamen missam sibi facere celebrari, et eam audiendo satisfacere præcepto in oratorio privato sine presentia domini omnes illi, qui sunt de familia agnati et cognati indultarii; dummodo habitent cum ipso indultario, et ipsius sint commensales, ast nunc attendenda est novissima dispositio, quæ adducitur. — 55. Pater, mater, filii ac filia, fratres et sorores privilegiati, eorumque uxores ac viri non gaudent tali privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant suis expensis propriis. — 56. Undecima clausula: *Nec non in hospitium tuorum nobilium presentia*, denotat quod duplex conditio debet concurrere, nempe quod sint hospites, et quod sint nobiles. — 57. Non requiritur tamen in ipsis nobilitas ex genere, sed sufficit quæcunque alia nobilitas. — 58. Hospitium appellatione qui veniant? — 59. Qui veri sunt hospites, si ex aliquo accidenti absit die festo indultarius, possunt sibi facere celebrari missam, eamque audiendo satisfacere præcepto in dicto oratorio absque presentia domini. — 60. Duodecima clausula: *Votumus autem quod familiares servitiis tuis, etc.*, aperte demonstrat quod illi familiares, qui non sunt actu necessarii servitiis domini tempore dictæ missæ, non satisfaciunt ibi præcepto, quamvis ejus expensis vivant et commensales sint. — 61. Necessitas servitiis in dictis familiaribus requisita, qualis debeat esse. — 62. Affertur notabilis advertentia. — 63. An celebrans et minister satisfaciunt in oratorio

(1. Oratorium, generice captum, est locus aptus ad orandum, precesque Deo offerendas. Barbosa, lib. II *Juris eccles. univers.*, cap. 8, num. 1, et alii communiter. (2. Oratorium pro missis celebrandis, aliud est publicum, et aliud est privatum. *Communis*. Oratorium publicum pro missis cele-

præcepto audiendi missam: ad num. 64. — 65. In oratorio privato, in quo ex justa causa ab Apostolica Sede conceditur facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, possunt, et debent celebrari omnes tres missæ. — 66. Habens bullam Cruciatae non satisfacit præcepto, audiendo missam in privato oratorio. — 67. Oratoria quæ sunt in aulis publici palatii civitatis, ubi senatores conveniunt, sunt privata, adeoque opus est indulto Summi Pontificis, ut ibi celebrari possit. — 68. In capellis carcerum publicorum potest quolibet die missa celebrari, et ab omnibus ibi missam audientibus satisfieri præcepto. — 69. Item potest satisfieri præcepto, audiendo missam in oratoriis privatis episcoporum. — 70. Etiam si sint episcopi titulares. Non possunt autem episcopi uti oratorio privato extra domum propriæ habitationis; juxta tamen posteriorem Pontificum declarationem, seu explicationem. — 71. Item potest satisfieri præcepto, audiendo missam in oratoriis privatis cardinalium. — 72. Regulares possunt in suis conventibus habere oratoria privata absque alio indulto. — 73. Quoad hæc oratoria non sunt revocata privilegia regularium a concilio Tridentino. — 74. Et dato etiam, quod essent revocata quoad hæc oratoria, fuerunt per posteriorem concessionem innovata. — 75. Nec etiam quoad hæc oratoria privata sunt revocata privilegia regularium in novissimo decreto Clementis XI, de celebratione in oratoriis privatis. — 76. In supradictis privatis regularium oratoriis possunt omnes fideles missam audire, et satisfacere præcepto. — 77. Quid circa hoc sentiant alii. — 78. An regulares possint habere oratoria privata etiam extra conventus in grangiis et domibus ruralibus utilitatis, et recreationis causa acquisitis. — 79. Ut regularium privata oratoria legitime erigantur et deponentur, quid requiratur? — 80. Regulares nequeunt erigere portatile in domo privata consanguineorum, et ibi celebrare pro ministrando vitico regulari ibi esistenti graviter infirmo. — 81. Non permittitur a sacra congregatione oratorium cum beneficio in domo privata; imo sacra congregatio immunitat, ad tollenda inconvenientia mandat capellam cum beneficio esse removendam a domo privati. — 82. Quoad oratoria privata attendenda nunc est novissima dispositio Benedicti XIV quæ assignatur. — 83. Oratorium publicum, facta prius legitime translatione onerum, potest, clausa janua viæ publicæ, reduci ad oratorium privatum. — 84. In oratorio privato, in quo adest Apostolica facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, possunt celebrari ab eodem sacerdote omnes tres missæ. — 85. Oratoria privata non solent facile concedi in domibus mulierum in communi viventium. — 86. Oratorium esse publicum probatur ex multis, et adducuntur ad id plures resolutiones sacrarum congregationum, ad num. 91. — 92. Quamvis supra oratorium seu capellam aut ecclesiam nequeant esse camerae, vel loca ad usum profanum: subitus tamen ipsa possunt esse horrea, cellæ vinarie aut apothecæ. — 93. Oratorium permittitur in collegio, ut in eo valeant quolibet die, etiam festo solemniter celebrari missæ et sacramenta administrari convictoribus, discipulis, aliisque ibi degentibus, excepta tamen communione paschali. — 94. Adducitur ultimo loco ad litteram noviss. const. Bened. XIV. — 95. Alia ad rem ad n. 100. — Subiect. *Addit. ex al. man.* ad n. 110.

brandis est illud quod auctoritate episcopi est erectum, et ad Dei cultum tantummodo perpetuo dicatum habens aditum, et liberum ingressum per viam publicam, et pariter egressum in viam communem. Colligitur ex cap. *Oratorium* 6, et cap. in *Oratorio* 7, dist. 42; cap. *Quidam* 10, cans. 18, quæst.

2; cap. *Nemo* 7, distinct. 1, De consecrat., et authent. *Ut nullus fabricet oratorium*. (3. Et quod oratorium publicum debeat habere portam continuo apertam correspondentem in publicum, declaravit sac. congregat. Episcop. 22 Septemb. 1719, apud Ursayam in *Miscellan. sacro et profano*, I, litt. O, num. 69, et sac. congregat. Concilii in *Savonen*. 18 Julii et 9 Septemb. 1734, et sæpe alibi. (4. Oratorium privatum pro missis celebrandis est illud quod, intra domesticos parietes, in angulis domus privatæ, non habens ingressum vel egressum in viam publicam, ex concessione Sedis Apostolicæ sub certis clausulis, et recognitione, et approbatione ordinarii, est ad id ad tempus destinatum, ut colligitur ex formula ordinaria indulti, et ex novissimo decreto Clementis XI, *De celebratione in oratoriis privatis*, edito die 13 Septemb. 1703, (5. quod decretum, et formula indulti, ut ab omnibus percipiantur, et plene observentur, hic ad litteram dantur.

#### DECRETUM CLEMENTIS XI.

##### De celebratione in oratoriis privatis.

« Quoniam sancta sancte tractanda sunt, ac præsertim tremendo incurrenti sacrificii mysterium, quod omni religionis cultu et veneratione peragendum est; propterea super observandis et evitandis in celebratione missarum, in sacrosanctis œcumenicis conciliis, ac præsertim Tridentino, sub cap. unico, sess. xxii, inter cætera, statutum est, ut tantum sacrificium solummodo in ecclesiis aut oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo episcopis, et locorum ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam peragi paterentur. Ac subinde sacra congregatio eminentissimorum et reverendisimorum S. R. E. cardinalium ipsius concilii Tridentini executioni et interpretationi præpositorum, sæpe sæpius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit; modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo domino nostro, quod nonnulli episcopi sub prætextu privilegiorum capellis episcopalis competentium, et complures regulares, sub prætextu privilegiorum, quæ ipsi a Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilationem, seu potius excessum, et abusum in nonnullis diocæsis, præsertim regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimo prohibita. Siquidem nonnulli episcopi, etiam in aliena diocæsi, et extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures ex suis capellanis vivificam Christi hostiam immolare; regulares vero in quibusdam magnatum, seu aliorum nobilium personarum privatis oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures missas, quam in ipsis celebrare sit indultum, vel absque presentia personarum, quarum contemplatione gra-

tiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per constit. diocæsanam, aut etiam per decreta sac. congreg. Conc. celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit: aut etiam altari portatili uti non verentur, in sanctarum sanctionum contemptum, ac S. sacrificii irreverentiam.

« Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam, idem Sanctissimus dominus noster, ex unanimi voto sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, concilii Trident. interpretum inherendo declarationibus, alias hac de re editis, expresse declarat, episcopis, et his majoribus prælatis, etiam si cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juris, nec alio quocunque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diocæsi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si diocæsanus consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere regularibus cujusvis ordinis, aut instituti, seu congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscunque ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscunque sacerdotibus, etiam si essent episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis; in reliquis vero diebus prædictis regularibus seu sacerdotibus quibuscunque, etiam episcopis, in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare: atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem; demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascunque dictas missas audientes, nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere; quo vero ad altare portatile, iterum inherendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis regularibus in cap. *In his*, De privileg., et per alios Summos Pontifices aliis regularibus communicata utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi absque ordinariarum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem sacrum concilium, et propterea eosdem regulares prohibendos ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis decreti tenore mandat episcopis aliisque ordinariis locorum, ut contra quoscunque contravenientes, quamvis regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ad penas præscriptas per idem sacrum concilium in dicto decreto sess. xxii, usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facul-

tate per hoc decretum, ita procedendi perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, et servari mandat.

« Romæ, hac die 15 Decembris 1703.

« B. card. PANCIATICUS, præf.

« Joann. Dominicus THOMASUS episcopus Cyrenen. S. C. C. secret.

(6. Forma indulti, ut, referunt Quarti, *commentar. in rubricas Missalis*, part. III, tit. 10, sect. 2; Gobat, tom. I, tract. 5, n. 347; Monacell., tom. IV *Supplement. ad II tom.*, n. 470, et alii, solet esse tenoris sequentis.

« Dilecte fili, etc., spirituali consolationi tuæ, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, teque specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, etc. supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis; tibi, qui (ut asseris) nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuæ solitæ habitationis in diœcesi N. existentis oratorio ad hoc decenter muro extracto, et ornato, seu extruendo, et ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum sæcularem, seu regularem, sine tamen quorumcunque jurium parochialium præjudicio, ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, ac familia, et hospitium nobilium tuorum præsentia celebrari facere libere, et licite possis, et valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, non obstantibus, etc. Volumus autem quod, familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii, ibidem missæ hujusmodi interestes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. Datum Romæ, etc.

(7. Pro infirmo autem etiam nobili solet poni sequens clausula:

« Tibi, ut etiam diebus, ut præfertur, exceptis, si in illis ob infirmitatem domo egredi non poteris, in dicto oratorio prædictam unicam missam celebrari facere, ac illam cum una persona servitiis tuis necessaria duntaxat, audire libere, et licite valeas. »

Vel:

« In tua, ac unius personæ servitiis tuis necessaria duntaxat præsentia, celebrari facere libere, et licite possis, et valeas. Volumus autem, quod alii præter prædictam personam missæ hujusmodi ibidem interestes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. » Sic refert Monacell., t. II, tit. 13, formul. 2, sub num. 32.

(8. Quadruplicis speciei solent oratoria

privata concedi. Primo, pro civitate, et omnibus locis, sive ea sint oppida, sive villa, sive dominia unius diœcesis; et indultum hujus oratorii conceditur solum personis nobilibus exercentibus jurisdictionem temporalem altam, vel bassam in aliquo loco, qui specificari debet; Et tale indultum solet concedi cum clausulis contentis in formula adducta sub num. 6. Secundo, pro rure tantum, sive pro locis, seu habitationibus extra urbem, vel oppidum sitis; et indultum hujus oratorii conceditur etiam iis personis quæ non sunt nobiles, et nullam exercent jurisdictionem temporalem in aliquo dominio. Tertio, pro infirmis nobilibus (sive jurisdictionem temporalem exercent, sive non) quod convenit in omnibus cum oratorio primi generis, præterquam quod valeat tantum pro eo tempore, pro quo orator ob infirmitatem domo ad audiendam missam egredi nequit, et nulla anni festivitas, etiam solemnissima excipiat, et una sola persona suis servitiis necessaria, præcepto audiendi missam satisfacere in illis possit, ut patet ex clausula adducta supra num. 7. Et hoc indultum potest etiam impetrari pro conjuge, patre, matre, filio, filia, fratre, et sorore infirmis, si simul habitent; tunc enim ad tenorem supplicationis in eodem brevi exprimuntur. Quarto, pro itinerantibus, et vocatur altare portatile, quod solet concedi cum sequentibus clausulis: 1<sup>o</sup> Ut persona sit nobilis, sive jurisdictionem temporalem exercent, sive non. 2<sup>o</sup> Ut valeat tantum v. gr. per Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, et hujusmodi. 3<sup>o</sup> Ut valeat tantum in actuali itinere, et quidem, ubi missarum commoditas deest: cæterum ejusmodi missæ interesse possunt valide omnes comites itineris. Taxa pro dictis indultis obtinendis solent esse 12 scuta. Sic sapientissimus P. La Croix, lib. vi, part. III, n. 924, § *De oratoriis*, ubi dat etiam modum et formam ipsa indulta petendi.

(9. Hic ad uberiores notitiam juvat expendere singulas clausulas supradictæ formulæ solitæ communiter dari in concessione oratorii privati, et adductæ sub num. 6.

(10. Prima clausula: *Qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis*; importat veram nobilitatem ab ascendentibus derivatam; et sufficit sola nobilitas patris, ut tenet communis doctorum. (11. An autem sufficiat sola nobilitas matris, variant doctores. Monac. enim, t. IV *Suppl. ad t. II*, n. 476, et seq.; Quarti, *loc. cit.*, dub. 2, § *Colligitur primo*; cum Sanchez et Tamburino ibi citatis negant sufficere solam nobilitatem ex parte matris, ex eo quod nobilitas absoluta solummodo a patre derivatur. Pignat. tamen, tom. I, consult. 98, n. 44; Amostaz, *De causis piis*, lib. v, c. 10, n. 37, cum seq.; card. Petra, tom. II *Commentar. ad const. 8 Honorii III*, n. 26 et seq., verius probant ex multis sufficere solam nobilitatem matris, dicentes, quod tunc solum exposcatur nobilitas absoluta, quando ipsa venit in stricta et propria significatione, non autem dum est causa favorabilis quemadmodum in præ-

senti, ubi expresse dicitur: « Te specialibus favoribus prosequi volentes. »

(12. Secunda clausula: *In privato domus tuæ solitæ habitationis in diœcesi N. existentis oratorio* non privat indultarium hoc privilegio, etiamsi mutet domicilium, et illud transferat, etiam in aliam diœcesim, quia, cum hoc privilegium sit personale, debet sequi personam quocunque se transferat, et figat habitationem. Illa enim clausula *In diœcesi N. existentis*, non apponitur restrictive, seu taxative, sed solum demonstrative in hunc sensum « solitæ tuæ habitationis, quæ nunc existit in diœcesi tali; » eo vel maxime quod sæpe in indultis reperitur duntaxat scriptum *Tibi diœcesis N.* Ita Angelus, Sylvester, Salas apud Bonacinam, *De dispensation.*, punct. 10, § 1; Quintanadven. Pellizzarius, Barbosa, Aversa, Tamburin., et alii, quos citant et sequuntur Diana part. IX, tract. 1, resolut. 7; La Croix, lib. VI, part. II, num. 269; Quarti, *loc. cit.*, dub. 1, diffic. 2, et ita tenet etiam card. Petra, *loc. cit.*, num. 32 et seq. cum Navarr., Amostaz, Pasqualig. et aliis ibi citatis, ubi advertit quod, cum motivum concessionis hujus privilegii non sit locus, seu diœcesis, sed sola persona, locus, seu diœcesis in indulto non apponitur taxative, seu restrictive, sed solum demonstrative; et idem tenet Pignatell., *loc. cit.*, num. 51 et 59, ubi insuper ex duabus decisionibus Rotæ addit, quod in casu dubio: « an verba illa *civitatis N. seu diœcesis N.* stent demonstrative, an vero taxative, » censentur stare demonstrative. (13. In tali autem casu debet approbari ab ordinario illius civitatis, sive diœcesis, ad quam oratorium transferatur, ut tenent omnes supracitati doctores. (14. Et probabilius, imò absolute, debet iterum approbari, etiamsi transferatur solum de una in aliam domum intra eandem civitatem, seu de uno loco ad alium intra eandem domum, quia prima approbatio non extendebat se ad hunc locum: tum quia in hac mutatione irrepere potest aliquid indecens contra tenorem indulti, adeoque necessaria est nova approbatio: Pignatell., *loc. cit.*, num. 57 et 59; Tamburin. Quarti, et La Croix, *locis citatis*, et alii contra Quintanadv., Dianam, et alios aliquos volentes, non esse opus nova approbatione, si fiat mutatio loci in eadem civitate, vel domo.

(15. In casu vero, quo verba illa, *solitæ habitationis in diœcesi N. existentis, seu civitatis N. vel diœcesis N.*; aut hujusmodi, posita sint in indulto restrictive et taxative, quæ referant privilegium ad locum, ac proinde ipsum certe, et clare restringant ad locum, transferens habitationem ab una ad aliam diœcesim, non trahit secum privilegium oratorii privati, quia quamvis privilegium sit personale, et sequatur personam, potest tamen a concedente restringi ad certum locum, et operari, ut persona censeatur privilegiata tantum in illo loco, ita ut sequatur personam, quotiescunque

existerit in tali loco, et tale esset privilegium oratorii privati, si haberet restrictionem ad locum. Sic expresse Pignatell., *loc. cit.*, num. 58; La Croix, lib. VI, part. III, num. 931, § *De oratoriis*, et alii.

(16. Privilegiatus potest probabiliter, tam in civitate, quam ruri, dum ibi commoratur, uti oratorio privato, ita tamen ut interim non utatur eo, quod est in civitate; quia sicuti illa verba *domus tuæ solitæ habitationis* excludunt omnem aliam domum, quæ non sit solita habitatio privilegiati, ita etiam includit omnem domum, quæ sit solita habitatio, et proinde extendunt concessionem ad ipsam. Pignatell., *loc. cit.*, num. 60; Pasqualig. in *Qq. canonicis*, cent. 1, qu. 84, num. 3, et alii. Probabilius tamen docent oppositum Quarti, *loc. cit.*, dub. 3, difficult. 1; La Croix, lib. VI, part. II, num. 1269; Diana, part. IX, tract. 1, resolut. 22, cum aliis ibi citatis, quia Summus Pontifex nunquam per unum breve concedit facultatem, ut possit celebrari missa in pluribus oratoriis privatis, sed in uno tantum, ut constat ex stylo curiæ; in modernioribus autem brevibus solet apponi facultas utendi oratorio privato, et in civitate et ruri: Unde est semper attendendus tenor indulti.

(17. Tertia clausula: *Decenter muro extracto, et ornato, ab omnibus domesticis usibus libero*, denotat, quod locus in quo vult erigi oratorium debet esse decens, muro clausus saltem a tribus lateribus, ornatus et instructus omnibus suppellectilibus necessariis ad sacrum faciendum, et ab omnibus domesticis usibus liber, et segregatus. (18. Unde supra cubiculum oratorii, seu supra capellam non debet retineri lectus ad dormiendum, aut alia res profana, ut monet S. Carolus in *quarto concilio provinciali*, quod refert Gavant., in *Manual.*, verb. *Ecclesiarum reverentia*, n. 14, et sacra cong. Immunit. in *Tridentina* 30 Sept. 1636, apud Ricc., in *Synops.*, verb. *Capella*, n. 7, et Monacell. tom. IV *Suppl. ad II tom.*, n. 481.

(19. Potest tamen privilegiatus, si nolit amplius uti privilegio, pro suo libito convertere oratorium in usus profanos, quia oratorium privatum non est locus sacer, nec immutabiliter dicatus divino cultui, adeoque nec gaudet immunitate ecclesiastica, ut decrevit s. c. Immunit. in *Perusina* 9 Dec. 1631, apud Barbos., in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Oratorium*, num. 10. Et sic tenet Quarti, *loc. cit.*, dub. 4, difficult. 2; Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, c. 4, num. 10, et alii passim. (20. Si autem privilegiatus velit iterum tale oratorium profanatum remittere ad usum celebrandi Sacrum, indigebit nova approbatione ordinarii. Citati supra doctores, et alii passim.

(21. Quarta clausula: *Per ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*; indicat, non posse valide oratorium constitui, nisi præcedat visitatio et approbatio ordinarii, ejusque licentia, quia hæc omnia